

stram salutem, quasi ex propria virtute; ideo oportuit quod in eo esset gratiæ plenitudo: ministri vero, quia agunt in virtute ejus non requirunt gratiam personalem, sed solam auctoritatem ordinis. » Quare ad gratiam Christi pertinet non solum meritorie, sed etiam instrumentaliter physice derivare influxum suum ad membra Ecclesiæ. Et ad istos duos modos reducitur omnis derivatio capitis in membra, quia omnis derivatio per efficientiam, vel est moralis, vel physica. Omittimus enim aliud genus causalitatis, scilicet formalis, et materialis, nam finalis causalitas convenit quidem Christo, sed de illa non loquimur in præsentia. Moralis quidem efficientia, et derivatio sufficienter explicatur per hoc, quod gratia Christi ex conjunctione ad Verbum recta est principium formale merendi, non solum pro se, sed etiam pro nobis; et in hoc fuit causa principalis meritoria, sicut quilibet homo est causa principalis consequendi gloriam in genere meriti.

XXIII. In genere autem physico probatur, quia actio instrumentalis respectu nostræ gratiæ non repugnat Christo, sed maxime ipsum decet. Quod quia probandum est infra quæstione XII, nunc supponitur: esse autem causam physicam per modum causæ principalis, omnino repugnat, licet aliqui theologi oppositum censuerint, quos sub expresso nomine refert magister Curiel 1-2, quæst. CXII, articulo primo, dubio primo. Et quidem repugnantia ista, seu implicatio, quæ omnino adæquet, difficile redditur a theologis, licet enim impossibile fit, quod gratia producat ab aliqua creatura tamquam a causa principali, cujus gratia sit immediata participatio, et a qua profluat tamquam propria passio, sicut calor procedit ab igne, lux a sole; nisi ponemus substan-

tiam supernaturalem creatam, quæ omnino repugnat, ut tradi solet prima parte, quæstione XII, unde pro hac parte, repugnantia, et implicatio ad assignandam causam principalem creatam gratiæ, est eadem, quæ assignatur ad ponendam substantiam supernaturalem creatam.

XXIV. Cæterum difficilius redditur implicatio, quare repugnat dari causam principalem gratiæ ex participatione alterius; sicut licet calor procedat ab igne tamquam a causa principali, ex cujus principiis dimanat, tamen etiam potest procedere tamquam a causa principali a calore existente in aqua tamquam a causa principali participativa. Et similiter licet lux dimanet a sole, ut propria passio, tamen aer illuminatus producit aliam lucem, tamquam causa principalis. Cur ergo similiter, licet gratia participetur a Deo ad modum propriæ passionis, et ut qualitas ordinis divini; cur repugnabit, quod semel producta gratia, illa tamquam causa principalis participativa producat aliam gratiam, vel habitum supernaturalem? Neque enim ad hoc supernaturalitas obstat, cum videamus gratiam, et habitus supernaturales concurrere per modum causæ principalis ad productionem actuum, qui in substantia supernaturales sunt.

XXV. Hæc difficultas propriam sedem habet 1-2, quæst. CXII, artic. I, et infra quæst. LXIV, articulo primo, et late tractatur a D. Thoma quæst. XXVII de veritate, art. III; quia tamen ad exactam explicationem perfectionis gratiæ capitis decernit ejus explicatio, breviter solum attingemus rationem, quare repugnet unam gratiam producere alteram physice, et principaliter.

XXVI. Igitur S. Thomas duas rationes præcipue assignat. Prima specialis est, ostendens, quod non possit una gratia producere alteram

in diverso subjecto: et sumitur ex eo quod nulla causa creata potest physice immutare voluntatem alterius, sed solum objective, quia non potest intra animam illabi. Productio autem gratiæ requirit immutationem voluntatis, quia per gratiam homo convertitur ad finem supernaturalem. Hæc tamen ratio procedit, tam de gratia, quam de quacumque alia mutatione, etiam naturali, respectu alterius voluntatis creatæ; unde saltem respectu immutationis propriæ voluntatis non currit ista ratio. Restatque difficultas, cur non possit gratia intra ipsum hominem producere aliquem habitum supernaturalem, vel saltem augmentum gratiæ, sicut per habitus naturales producitur augmentum eorum mediis actibus. Ut omittam apparere tantam implicationem, quin possit Deus sic applicare unam substantiam spiritualem alteri, quod sine illapsu possit in alia producere aliquam qualitatem, præsertim cum gratia non sit in voluntate, sed in substantia animæ.

XXVII. Secunda erga ratio desumitur ex supernaturalitate gratiæ, non quomodocumque considerata, sed quatenus importat duos effectus, scilicet, ex natura rei distinctos, et intrinsecos. Primus est, quod fit participatio quædam divinæ voluntatis, et donum ipsius, quo anima redditur dilecta supernaturaliter, et grata Deo ac voluntati ejus amica: secundus, quia est participatio immediata divinæ naturæ.

XXVIII. Uterque effectus explicatur, et dicitur expresse in sacra Scriptura. Primus, Jacobi I: *Voluntarie genuit nos Verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*: ubi voluntaria generatio ponitur tamquam propria gratiæ productio. Ex quo oritur, quod gratia reddat nos genitos, et filios voluntarios, quod est esse filios adoptivos;

qui effectus essentialiter respicit processionem a voluntate divina tamquam donum, quo reddimur voluntati Dei grati, et accepti.

XXIX. Et ad Ephesios I dicitur: *Qui prædestinavit nos in adoptione filiorum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos*: ubi etiam gratificatio, et adoptio, qui sunt effectus connaturales gratiæ, referuntur ad gratiam sub illa formalitate, qua est participatio voluntatis divinæ, et intrinsecum donum voluntatis Dei. Qua etiam ratione diffusio gratiæ specialiter appropriatur Spiritui sancto, qui est notionale donum, et processio voluntatis Dei; et ideo dicitur Roman. V: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, ideoque ipsa gratia vocatur Spiritus, quasi ex spiratione divinæ voluntatis procedens, Roman. VIII: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus*: ubi semper loquitur Scriptura in hac formali præcisione, quod adoptionem filiationis reducit ad voluntatem Dei, quatenus amorem inspirat erga nos; cujus spirationis participatio est gratia.

XXX. Secundus autem effectus gratiæ, scilicet, quod sit participatio divinæ naturæ explicatur II Petri I, dum dicitur: *Maxima, et pretiosa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*. Qua etiam ratione I Joannis III vocatur gratia semen Dei, ad designandum, quod est immediata participatio naturæ viventis, in eo in quo est natura; sicut semen est ipsa participatio naturæ viventis in quantum natura est. Igitur supernaturalitas gratiæ secundum hunc effectum manifeste implicat, quod procedat ab alia gra-

tia, et a quacumque gratia creata, ut a causa principali. Nam si gratia est terminus quidam, vel processio divinæ voluntatis reddens hominem gratum, et dilectum Deo, et voluntarie genitum, vel producitur in vi voluntatis divinæ gratificantis, ut a causa principali tantum; vel in vi propriæ causalitatis. Si primum, jam solus Deus est causa principalis: si secundum, manifeste implicat, quod aliquid faciat hominem dilectum, et gratum Deo, nisi per ipsam voluntatem divinam, sicut quod aliquid reddatur intellectum in actu, sive per extrinsecam denominationem, ut objectum ad extra, sive per intrinsecam realitatem, sicut Verbum mentis ad intra, nisi mediante concursu intellectus tamquam causa principali hujus effectus.

XXXI. Et eadem ratio est de augmento gratiæ; est enim augmentum hoc effectus majoris dilectionis divinæ; unde non potest procedere ab ipsa gratia, ut a causa principali, etiam in eodem homine, sed immediate a voluntate divina.

XXXII. Quod si inquiras de aliis habitibus supernaturalibus præter gratiam, respondetur, quod vel habent necessariam connexionem cum ipsa gratia, vel non. Si habent necessariam connexionem, dimanant ab ipsa gratia quasi passiones ab essentia, et producuntur eadem actione, qua producitur ipsa gratia; et consequenter ab eodem agente, et causa principali debent procedere, sicut ab eodem agente fit natura, et propria passio illius.

XXXIII. Si autem necessariam connexionem non habent, oportet, quod a sola libera voluntate Dei, tamquam specialia illius dona procedant. Cum enim sola gratia expurgat peccatum, et reddat hominem amicum Deo tantum; etiam alii habitus, qui sine gratia inve-

niuntur, ut fides, et spes ordinant, et disponunt ad istam gratiam, sicut dispositiones ejusdem ordinis, quæ ab eodem agente necesse est procedere a quo procedit forma.

XXXIV. Character autem manifestus est, quod solum posset a Deo procedere, ut a causa principali, quia ex sua natura est potestas ministerialis, et instrumentalis, unde necessario petit solum procedere a suo agente principali, quod est Deus.

XXXV. Secundus autem effectus, quem importat supernaturaliter gratia, est quod sit immediata participatio divinæ naturæ; id autem, quod est immediata participatio alicujus naturæ repugnat, quod ab alio derivetur, ut a causa principali, sicut semen non potest derivari etiam ab alio semine, sed solum a natura viventi, cujus est immediata participatio.

XXXVI. Cujus ratio est, quia alias oporteret, quod vel nulla gratia ex sua natura peteret immediate procedere a Deo, tamquam participatio ejus naturæ, vel non omnis gratia esset univoce ejusdem speciei. Nam si una gratia procederet ex alia, et non immediate a Deo, similiter omnis gratia posset sic procedere; ergo nulla peteret ex sua natura immediate a Deo procedere, et sic nulla esset immediata ejus participatio ex sua natura, et quasi semen Dei.

XXXVII. Vel si aliqua gratia peteret immediate esse a Deo, alia autem id non peteret; non esset utraque univoce gratia, et unus speciei: unde fit argumentum efficax: Gratia ex sua intrinseca specie est immediata participatio divinæ naturæ, ubicumque reperitur; ergo et immediata processio: non autem participatio intelligi potest nisi per processionem ab eo, cujus participatio est; ipsum enim participare pro-

cessio est, et si immediate participat, immediate procedit.

XXXVIII. Exempla, quæ in oppositum reducuntur nullam habent instantiam, quia lux solis, et calor ignis, non sunt immediate participationes naturæ solis, aut ignis; sunt enim participationes, et refusiones qualitatum, quæ sunt passiones, et sic immediate non participant. Non est ergo facienda vis in his exemplis, sed exemplum magis ad propositum, est semen, cui Scriptura comparat gratiam; ita enim est immediata participatio naturæ viventis, quod non potest ab alio produci ut a causa principali, nisi a natura viventi.

XXXIX. Alii autem habitus supernaturales sunt immediatæ participationes alicujus attributi divini, verbi gratia charitas, et spes voluntatis, et lumen gloriæ divini intellectus; et sic de aliis virtutibus. Licet in hoc sit differentia, quod sicut ista attributa intelliguntur nostro modo intelligendi subsequi ad divinam naturam, tamquam proprietates illius, ab ipsaque procedere; sic etiam habitus isti virtutum ad gratiam, vel ut passiones consequuntur, et modo dimanationis ipsam habent pro principio, sed non tamquam principale agens, quia passiones producuntur ab eodem efficiente a quo natura cujus passiones sunt.

XL. Ex eadem philosophia percipitur, quod actus supernaturales non sunt immediatæ participationes Dei, sed mediantibus habitibus, a quibus eliciuntur. Quare licet etiam in Deo sit actus, tamen quia ille actus non est egrediens ab aliquo principio, sed est actus purus; in nobis autem non potest esse actus, nisi prout egrediens ab aliquo, ideo ex hac parte repugnat aliquem actum supernaturalem esse immediatam participationem actus divini,

sed solum mediante habitu; et quia sunt actus vitales, oportet quod procedant tamquam a causa principali ab aliquo principio vivente supernaturalizato.

XLI. Constat ergo, quod derivatio gratiæ a Christo solum habet duplex genus efficientiæ, scilicet, moralis in quantum est causa meritoria, et physice in quantum est instrumentum conjunctum, et hoc etiam magis proprium est capitis, quia cum caput sit organum, et pars præcipua corporis, magis concurrit modo instrumentali in alia membra quam principale, si sit caput homogeneum. Cum autem Christus ut homo sit caput homogeneum cum rationali creatura, conveniens fuit, quod quasi instrumentum organicum, et conjunctum eidem Verbo influeret gratiam in alia membra, etiam efficientia a physica.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XLII. Ad ea quæ supra objiciuntur contra processum rationis S. Thomæ constat ex dictis, quam efficax sit ejus ratio, intelligendo, quod actus, quo aliquid existit in actu est etiam id, quo agit eo modo, et ea ratione, qua talis forma potest esse activa, sicut gratia solum potest esse activa per actus meritorios, et ad modum physici instrumenti. Sic autem intellecta ratio non probat æqualiter de gratia S. Pauli, vel alterius habentis gratiam intensiorem, quia eminentia gratiæ requisita ad agendum in alios, non est sola intensio, sed modus habendi gratiam eminenter, ut optime advertit Cajetanus in commentario articuli quinti.

XLIII. Itaque eminentia importat, et perfectionem formæ habitæ, et eminentem modum habendi illam; sicut calor in summo, non solum

dicit intensionem caloris, sed modum, quo habetur ab igne, id est, tamquam naturalis proprietas illius. Et eodem modo maxima eminentia gratiæ Christi non solum intelligitur, quantum ad perfectionem intensivam, sed etiam quantum ad modum habendi, scilicet, quasi proprietatem personalem unionis, ut ei conjunctam, ut annotatur illis verbis: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti*, id est, ut propriam Filii Dei, et tam magnam, ac si solus ipse esset Filius; ideo enim dixit: *Unigeniti, et primogeniti*. Et hoc modo non verificatur, quod gratia cujuscumque alterius sancti, quantumcumque excellentis habeat illam eminentiam, quæ requiritur ad agendum in alios, secundum illum modum, quo habet eminentiam in Christo.

XLIV. Ad primam instantiam respondetur, quod hæc ratio D. Thomæ, non probat gratiam Christi esse causam principalem physicam, quia gratia non est forma capax talis actionis. Ratio autem D. Thomæ solum probat, quod forma est ratio agendi eo modo, quo est capax agendi, et in suo genere.

XLV. Et quando instatur, quod instrumentum non constituitur per eundem actum, quod redditur agens respondetur, quod in instrumentis separatis ita est; in instrumento autem conjuncto, et organico, verbi gratia in manu, idem est actu quo constituitur in actu: et quo constituitur instrumentum, scilicet per virtutem animæ, quia tale instrumentum quasi agit ex propriis, id est, ex virtute principali conjuncta. Et ita dixit D. Thomas quæstione xxix de veritate, artic. v ad tertium, quod Christus operatus est nostram salutem, quasi propria virtute, ideo oportuit, quod in eo esset gratiæ plenitudo: ministri vero, qui agunt in virtute ejus, non

requirant gratiam personalem, sed solum auctoritatem ordinis.

XLVI. Vel secundo respondetur, quod D. Thomas non probat determinate, quod gratia Christi agat, ut instrumentum, vel ut causa principalis moralis, sed quod agit eo modo quo gratia nata est agere, scilicet per actus meritorios; si autem addatur etiam instrumentalis derivatio, hoc erit ex abundantia.

XLVII. Et quando dicitur, quod ad merendam aliis gratiam requiritur, et concurrat eminentia unionis, non autem perfectio gratiæ personalis respondetur, quod eminentia gratiæ unionis concurrat radicaliter, et præsuppositive, ut principium quod; gratia autem habitualis, ut principium quo proximum, et formale, quod magis conducere ad rationem capitis ostensum est. Si autem gratiam habitualem non haberet, posset quidem aliis mereri gratiam, sed non ita connaturaliter, ut supra quæstione vii dictum est; et ideo connaturali modo constituitur caput proxime, et formaliter per gratiam habitualem.

XLVIII. Ad instantiam, quæ adducitur ad probandum rationem D. Thomæ esse diminutam respondetur, quod ex auctoritate gratiæ solum infertur, quod est actus agendi ad actiones justas, et meritorias; sed ulterius ex eminentia talis actus explicata elicitur, quod sit meritoria etiam pro aliis; et ex eadem eminentia ostenditur, quod est pro omnibus, quia illa eminentia est maxima, ut dicitur in littera articuli: et consequenter superior ad omnem gratiam, et non solum ad aliquam, unde recte infertur ad omnem esse derivabilem.

XLIX. Ad fundamentum allatum pro opinione patris Vazquez contra primam conclusionem, respondetur ex dictis, quod totus valor sa-

tisfactionis, et redemptionis provenit ex gratia unionis, quasi radicaliter, et ut a principio quod; formaliter autem, et proxime, et quasi a principio organico, quale requiritur ad institutionem capitis univoce, et homogenei, procedit a gratia habituali, prout tamen conjuncta, et perfecta per gratiam unionis.

L. Ad confirmationem similiter dicitur, quod valor merendi pro aliis, radicaliter, et præsuppositive est ex gratia unionis; proxime vero, et formaliter ex gratia habituali sic conjuncta; quod si istam non haberet, sufficeret sola gratia unionis ad merendum aliis, sed non ita connaturaliter elicerentur ab anima opera meritoria, ut dictum est. Et similiter infinitas cum non sit aliud, quam ipse valor in operibus Christi ex supposito proveniens, datur quidem a gratia unionis radicaliter, procedit autem proxime, et immediate a gratia habituali, quia tunc gratia licet det substantiam operis, et specificam dignitatem ejus in ordine supernaturali (neque enim alio influxu persona influit in operationem, quam mediante principio formali proxime elicitive) necesse est, quod ab ipso immediate, et proxime procedat valor illarum actionum.

LI. Ad ea, quæ objiciuntur secundo loco contra secundam conclusionem, respondetur illum modum, seu perfectionem superadditam gratiæ habituali esse ipsam conjunctionem ad superius principium gratiæ unionis, ut diximus. Et si instes: Quia unio naturæ humanæ ad Personam divinam non est modus superadditus naturæ, sed sola relatio (ut supra disputatione iv, articulo iii dictum fuit) ergo neque gratia per hanc præunionem habuit aliquem modum sibi superadditum, quo constituatur gratia capitis, sed solum relationem ad Personam.

LII. Respondetur, quod etiamsi non importaverit aliquid aliud, tamen hoc ipsum, quod est realis illa unio, et dependentia a Verbo, est aliquid reale superadditum ipsi gratiæ.

LIII. Cæterum in istis unionibus rei inferioris ad suum superius, non est præcise consideranda ipsa entitas unionis, quæ relatio quædam est, sed perfectio, seu elevatio rei inferioris, et fortificatio, quæ consequitur in ipsa ex conjunctione ad suum superius, ut S. Thomas loquitur i part. quæst. cvi, articulo primo, nam in intellectu maxima perfectio sequitur ex eo quod uniatur illi divina essentia in ratione formæ intelligibilis; et humanitas ex eo quod reddatur subsistens per subsistentiam divinam; quæ perfectio, et actuatio, qua virtus inferior manet magis elevata, et perfecta ratione conjunctionis, et unionis, appellatur, non tamen est ipsa pura relatio, sed perfectio, et mutatio inferioris virtutis ex tali unione resultans, ut aliquid amplius possit, quam sine tali unione; cum tamen relatio ut pure relatio, non sit principium agendi. Et profundior radix hujus est, quia licet unio sit relatio, habet tamen fundamentum reale in ipsa re unita, quod est immutatio passiva illius ad alterum extremum, ex qua immutatione non repugnat perfici rem inferiorem unitam, et non solum ex ipsa relatione.

LIV. Totum hoc expressit D. Thomas quæst. xxix de veritate, art. v ad septimum, ubi dicit, quod ex ipsa unione divinæ naturæ ad humanam sequitur in humana quædam gratiæ plenitudo, ex qua in alios redundantia illa sit a capite Christo. Ergo plenitudo perfectio aliqua est ex unione resultans; quæ tamen unio ipsa appellari solet, quia non ponit in numero eum

unionem effectus ipse comitans talem unionem.

LV. Ad confirmationem respondetur, quod in aliis qualitibus activis, activitas propriæ operationis non addit aliquid supra actualitatem: si vero elevetur aliqua forma ad operandum ultra id, quod ex se potest, indiget aliqua elevatione, seu conjunctione ad superius agens, ratione cujus possit ultra propriam activitatem operari. Cum autem gratia non sit de se meritoria de condigno pro aliis, sed solum pro se, indiget, ut inquit D. Thomas, eminentia quadam supra id in quo agit; et hæc eminentia superaddi debet gratiæ habituali, ut possit esse activa ad derivandum gratiam in alios, quia ex se talem eminentiam non habet: neque est necesse, quod modus habendi istam eminentiam, sicut unio, sit ipsa ratio agendi, sed modificatio ad agendum.

LVI. Ad ultimum quod est contra tertiam conclusionem respondetur, quod etsi absolute loquendo, instrumentalis operatio non constituat caput, neque simpliciter ad id requiratur, pertinet tamen ad melius esse, et ad excellentiam capitis in Christo, ut sit instrumentum conjunctum physice derivans gratiam, habetque magnam convenientiam, ut sicut caput est pars præcipua organica corporis, ita Christus instituat per hoc, quod sit instrumentum organicum Verbi, licet absolute possit esse redemptor, et satisfactor, atque adeo caput sine tali instrumentali influxu. Neque hoc est recurrere ad gratiam unionis, quia etiam instrumentum conjunctum non convenit ipsi gratiæ unionis, sed convenit gratiæ habituali unitæ: gratia enim unionis non supponit pro ipsa humanitate, et gratia habituali ejus, etiam ut unita, sed pro ipso esse personali, et

hypostatico, quod gratis unitum est humanitati, et ideo ipsa vocatur gratia unionis, non humanitas.

ARTICULUS II.

Utrum Christus sit caput omnium hominum etiam in statu innocentiae?

I. Distinxit S. Thomas in articulo tertio sex status hominum quos reduximus ad tres. Nam alii aliqualem Christi influxum admittunt in vita spirituali, sive perfectissime in gloria, sive perfecte in gratia, sive imperfecte in fide, quæ est actuale initium justificationis; alii sunt in potentia membra Christi, sive reducenda in actu aliquando, sive non; alii denique omnino sunt extra omnem influxum Christi vitalem, tam in actu, quam in potentia, qui sunt damnati, et dicuntur non esse in potentia membra Christi ratione status æternæ damnationis, qui status, neque mediate, neque immediate capax est influxus Christi, neque ad illum aliquo modo ordinatur, sed perpetuo deordinatur ab illo; ex vi talis status incurrit homo incapacitatem recipiendi influxum vitæ, tamquam mortuus sempiternus. Quæ conclusio extenditur ad pueros existentes in limbo, vere enim sunt damnati pœna damni.

II. De viatoribus, post statum peccati, Christum Dominum certissimum est esse caput omnium hominum, licet non eodem modo omnium; sicut neque caput naturale eodem modo influit in omnia membra, sed aliquorum est caput in potentia, et quoad sufficientiam; aliorum etiam in actu, et efficaciter, quia pro omnibus mortuus est. Quod tamquam de fide tenendum est, ut constat pluribus in locis sa-

crae Scripturæ. Intellego autem nomine omnium hominum, etiam infantes nondum natos, de quibus aliqui dubitant, an sint existimandi membra Christi, eo quod in uteris maternis non sunt capaces alicujus influxus Christi; neque est institutum aliquod remedium applicabile ipsis pro illo statu. Sed omnino dicendum est illos esse membra Christi in potentia, pertinereque ad ejus universalissimam redemptionem, quia pro illis mortuus est, et sub ejus potestate continentur. Id enim indicant illa verba Joannis xvii: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, nomine ly carnis intelligitur omne animatum anima rationali; de illo enim verificatur, quod sit caro; et infantes in maternis uteris jam inchoative pertinent ad vitam viatorum, et consequenter ad vitam salvandorum; viatores enim salvari possunt: ergo jam in illo statu respiciunt salvatorem.

III. Constat etiam infantes in uteris maternis sanctificari posse per Christum, licet extraordinario modo, sicut Joannes Lucæ x, dum exultavit in utero ad Christi adventum: et fortasse alii sanctificati sunt, quos ignoramus. Denique, licet infantes intra maternum uterum, non sint immediate capaces remedii, quod ministerio hominum, et mediis sacramentis ministratur, sunt tamen capaces mediate, quia extrahi, vel expediri potest infans, et sic recipere remedium Christi, et auxilia extrinseca protectionis per Angelos. Habet ergo capacitatem, ut fiat membrum Christi, licet impeditum, impedimento tamen absolute amovibili. Esse autem potentiam impeditam ad suscipiendum baptismum non tollit, quin sint membra Christi, alioquin multi homines non possent dici membra Christi in potentia, quia sunt impediti, vel vatissimo mari, vel

aliquo terrarum impedimento, ne ad illos perveniant ministri evangelii.

DE STATU INNOCENTIÆ.

IV. Tota ergo difficultas in hominibus reducitur ad statum innocentiae. Pater Suarez disp. xxiii, sect. i sentit, quod Adam pro illo statu fuit membrum Christi. Primo, ex auctoritate, quia D. Thomas in articulo tertio resolvit, quod Christus est caput omnium hominum, accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi: ergo comprehenditur etiam tempus status innocentiae, qua generalitate etiam loquitur super Joannis caput primum, lect. x, dicens: « Quod de plenitudine ejus acceperunt omnes justii, qui fuerunt, sunt, et erunt, et etiam omnes Angeli: » et infra: « Quod plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis: » et similiter Augustinus: « Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. Numquid soli nos, et non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio sæculi fuerunt justii, adjunctis etiam legionibus, et exercitibus Angelorum, etc. » ubi ponderandum est, quod Augustinus et D. Thomas generaliter loquuntur, non solum de personis, sed etiam de temporibus, dicendo ab initio sæculi, et per totum tempus mundi, in qua generalitate temporis necessario comprehenditur status innocentiae.

V. Deinde etiam ratione, quia Adam ante peccatum habuit fidem de Christo, non ut redemptor, sed ut consummator gloriæ, ut est expressa sententia D. Thomæ 2-2, quæst. ii, art. vii, habuit influxum vitæ, non minus quam fideles post peccatum: fides enim Christi non